



0. Biscorbek. Min

	30 gr 6 gr
Materia	30 gr 6 gr
constant	2 gr
Acid	5 gr
Ligat.	8 gr
<hr/>	
	1 flr 12 gr

0/10 1/2

U. q. 25.





10  
D. O. M. A.

**EXERCITA-  
TIONUM JUSTI-  
NIANEARUM  
I.**

*Quam*

**Permisu & auctoritate Ma-  
gnifici Jctor. Ordinis in Illu-  
stri Salana**

**P R Æ S I D E**

*Viro Clarissimo & Consultissimo*

**Dn. GEORGIO FRANTZKIO**

**J. U. D.**

**Suis Nobilissimis & Præstantissimis  
Dn. Collegis**

*ventilandam proponit*

**CHRISTOPHORUS HOPNERUS**

**Regiom. Boruß.**

*horis & loco solitis*

*Cal. Novembr.*



**J E N Æ**

**TPIS JOHANNIS WEIDNERI;**

**Anno M, DC, XXII,**



D. O. M. A.

EXERCITIA

TIONUM IUSTI

MARSHALLI

I.

Quarta

Pomnisi & Augustinensis

quarta Iura Ordinaria

Ordinis

Præfatus

DA. GEORGIO TRANTARIO

I. P. D.

Sacri Nobilitatis & Illustrationis

Collegii

reuerentia & pietate

CHRISTOPHORI HOPPERIS

Regem. D. C.

Præfatus

Collegii



J. E. Y. D.

Typis JOHANNIS WEIDNERI

Anno M. DC. XLII.







# EXERCITATIO PRIMA

*Respondente*

CHRISTOPHORO HÖPNERO  
Regiom. Boruss.

*QVAESTIO I.*

*Qualis definiatur à Justiniano  
Justitia?*



**I**USTITIA ex omnium  
confessione, uti ab Imperatore defi-  
nitur, finis est Jurisprudentiæ. Ergo et-  
iam talis definietur, qualis ipsa est Juris-  
prudentiæ. Ea autem procul dubio huma-  
na intelligitur, quæ inter homines certo  
Reipubl. corpore comprehensos jus con-  
stituit & interpretatur, quæ hunc sibi finem propositum habet,  
ut æquum ab iniquo separet, licitum ab illicitis discernat, bo-  
nos non solum metu pœnarum, verum præmiorum quoque  
exhortatione efficere cupiat *l. i. §. i. de j. & j.* † Quæ omnia  
cum non quadrent nisi humanis actionibus Justitiâ quadam  
imbuendis, certum sanè est, non nisi humanam eo ipso & indi-  
gitari & ab Imperatore definiri. † Quo ipso errant Hotom. 3  
*ad pr. Instit. & Vult. ibidem n. 5.* & alii dum putant, divinam

A

non



EXERCITATIO

2  
 non humanam hic intelligi Justitiam, quæ sententia vel ex eo  
 refutatur, quod justitia, quæ hic definitur, sit constans & perpe-  
 tua voluntas jus suum cuique tribuendi, h. e. quod cuique de-  
 betur: DEus verò nulli quicquam debet, sed ex merâ gratiâ,  
 4 quicquid hominibus exhibet, largitur. † Nec obstat, quo  
 uno Vultejus & alii moventur, quod non possit tanta constan-  
 tia perpetuæ voluntatis humanæ Justitiæ convenire. Ea enim  
 constans voluntas dicitur, non ita æquabiliter ac si nunquam  
 aliter agere vir justus posset, sed intentionaliter, quoad propo-  
 situm justè agendi. Nec injustus dicendus est, qui malè aliquan-  
 do judicavit, si modò bene judicandi constanter retinuit vo-  
 luntatem; modò tanta non sit juris imperitia, quæ excusari  
 5 non possit. † Et si jus dicitur etiam id, quod iniquè decer-  
 nitur, relatione scilicet factâ non ad id, quod Prætor fecit, sed,  
 quod facere debuit, tum quoque cum noluit *l. penult. de J. & J.*  
*junctâ l. 65. §. cum prætor. Ad SC. Trebell.* quantò magis justum  
 dicere possumus etiam eum, qui injustè quid egit, dummodo  
 ne eo animo, ut Justitiam offenderet, vide *Anton. Fabr. in Ju-*  
 6 *rispr. Pap. lib. 1. tit. 1. pr. 4. in fin.* † Hinc infertur justitiam hic  
 definiendam, quæ in societate civili exercetur, & politicæ dis-  
 ciplinæ subordinatur: non absolutam illam à Philosophis,  
 præsertim verò Platone pluribus & tractatam & commenda-  
 tam, de qua vide eleganter *V. Desenbec. in par. tit. de J. & J.*  
*num. 4. Heig. ad pr. Instit. eod. num. 9. & seqq.* Jurisconsulto enim  
 satis non est Justitiæ imaginem mente & intelligentiâ forma-  
 tam, conceptamque speculari, nisi quoque extra se & in alio,  
 h. e. in civili societate, cujus illi custodes sunt, conspiciatur.  
 7 † Sequitur igitur: hic justitiam intelligi individualem seu ex-  
 emplarem. Ut enim consideramus hic Jurisprudentiam non  
 in genere quamcunque, sed in individuo, Romanam: ita et-  
 iam finem specialem & consequenter justitiam individuali  
 huic Prudentiæ juris correspondentem appellemus, necesse  
 8 est. † Ex verâ enim sententiâ Jurisprudentia est pars Poli-  
 tica: Politica verò uti est vel generalis, vel specialis: Generalis,  
 que



quæ circa Remp. in genere, specialis, quæ circa hanc vel illam, puta Romanorum, Atheniensium &c. occupata est: Ita & Jurispr. alia est Romanorum, alia est Atheniensium §. 2. *Instit. de J. N. G. & C.* Et consequenter Justitia quoque talis, quæ in unaquaque Jurispr. attenditur. † Notandum vero hîc est, quemadmodum Jus Civile vel Publicum, vel privatum est; ita & justitiam tam universalem, quam particularem pro fine hîc haberi & definiri: Non quidem sensu illo communi, quo Justitiam universalem vocant continentiam omnium virtutum, particularem, quæ in commutativam & distributivam dispescitur (si enim accuratè loqui velimus universalem non universalem facit, qui eam ut speciem particulari diversam opponit. Universalis enim eo ipso, qua talis est, particularem, quæ virtus est, comprehendit) sed ideò hîc universalis non immeritò appellatur, uti in totâ Rep. personam fictam repræsentante, conspicitur: particularis ut in uno quovis membro seu cive residet ab eoque exercetur. † Inde nobis Justitia universalis erit, quæ propriè Jurispublici, particularis quæ Juris privati: utraque tamen ad idem referetur, Reip. scilicet salutem; illa directò, hæc non nisi per consequentiam.

## QVAESTIO II.

*An Jurisprudencia ab Imp. definita tantum intelligatur judicialis, & consultativa, an etiam nomothetica?*

† Antequam ad quæstionis resolutionem accedamus: sciendum est Prudentiam aliam esse Ethicam, aliam Oeconomicam, aliam Civilem. Quæ postrema iterum propter varias & diversas civitatis partes diversa est. † Alia enim ab Arist. dicitur universalis, quæ & legalis seu nomothetica appellatur, alia

A 2

particu-



## EXERCITATIO

4 particularis, quæ in specie politica dicitur; Illa architectonica  
 dicitur, quoniam ut ait Christ. Ehem. *lib. 2. de princ. Jur. c. 4.*  
 totius civitatis incolumitatem respiciens sola imperat, & ve-  
 luti peritissima navis gubernatrix puppi insidens manu cla-  
 vum tenet, & quid agendum, quid omittendum sit, præscribit:  
 Atque sic non in actione quadam ipsa occupatur, sed media  
 ad agendum, ut architectus, ordinat & præscribit. Hæc est  
 3 quæ propriè agit inque rerum particularium administratione  
 hæret. † Illa in universalibus generaliter quid faciendum  
 sit præscribens, hæc in particularibus ea, quæ generaliter iussa  
 4 sunt & præscripta, exequens, versatur. † Executio autem  
 illa fit vel deliberando & consultando de Reip. commoditati-  
 bus, vel judicando de distributione præmiorum & pœnarum.  
 Unde posterior hæc species iterum est vel consultativa, vel ju-  
 5 dicialis, vide plurib. *Ehem d. l.* † His ita præmissis Jurispru-  
 dentia propriè neq; ad architectonicam, neq; politicam pote-  
 rit referri. *Non ad illam*; quia ea in legibus condendis & pro-  
 mulgandis occupata est. Jurisprudencia verò propriè illi non  
 condit, sed circa jam conditas cognoscendo tantum versatur.  
 Unde & dicitur notitia & justitiae atque injustitiae scientia §. 1. *Instit.*  
*de J. & J.* Nomothetica prudentia generaliter quid facien-  
 dum sit præscribit, Jurisprudencia verò ad hypothesin per cau-  
 6 sarum disquisitionem & consultationem applicat. † *Non*  
*ad hanc*, quam supra politicam seu particularem vocavimus,  
 quia ea in executione versatur eorum quæ à Legislatore sunt  
 constituta: Jurisprudencia verò propriè non exequitur, sed  
 propositis controversiis dubia explicat, mentem Legislatoris  
 ex verisimili ejus intentione eruit, extendit, restringitque ea,  
 7 quæ generaliter sunt proposita. † Unde alterum patet dis-  
 crimen à politicâ prudentiâ cum in administratione nuda  
 consistat, saltem particularia tractat: Jurisprudencia etiam suo  
 modo universalia, quatenus non saltem à Legislatore genera-  
 liter constituta applicat, verum per se quoque generaliter po-  
 8 sita considerat. † Ut vel ob hanc causam; cum utrumque  
 faciet,



faciat, meritò media statuatur, inter utramque & nomothetiam & politicam specialem & ab utraque suo modo dicatur participare. † Ut tamen nihilominus nomothesia à Jurispr. maneat distincta; etsi enim Legislator & Princeps quotidie leges ferat & abroget monitu & consilio jurisperitorum, facit tamen hoc omne ex potestate supremâ, quam sibi voluit reservatam. Nec magis huic disciplinæ, quam Juri profitentur, ascribendum est, quàm si in aliis gravioribus negotiis Princeps ductum suorum secutus quid statuatur, officio consiliariorum. † Concludendum igitur est cum doctis. *Ehem. d. lib. 10. c. 5.* ad civilis hierarchiæ descriptionem triplicis personæ considerationem necessariam esse *Legislatoris*, qui optimus est legum condendarum auctor atque Princeps, *Juri*, qui earundem peritus interpret. *Magistratus*, qui diligentissimus prædictarum executor meritò reputatur.

### QVAESTIO III.

#### *An jus Naturæ competat brutis animalibus?*

† Communis Dd. opinio est jus naturale esse homini & cum brutis animalibus commune, propterea quod ab Imper. Justiniano *in pr. de J. N. G. & C. & Jcto in l. 1. §. 3. de J. & J.* ita definiatur, & per exempla subiecta, quæ omnia brutis communia sunt, declaratur. Unde negatur jus hoc humani generis proprium esse *d. pr. in fin.* † Verùm si rectam rationem principiorum juris nostri penitus intueamur, certum evadit: nulum jus, quale etiam sit, sine ratione subsistere, adeoque in quocunque subiecto ratio non reperitur, illud etiam protinus juris omnis incapax existimari. Es autem ipsa cum brutis animalibus denegetur, & ipsum jus propriè illis attribui nequit. J. Inter quos jus est, inter eos etiam æquum & bonum, Lex & Justitia est *Arist. 5. Eth. c. 6.* Ex duobus enim omne jus constat,



EXERCITATIO

6  
 æquitate & auctoritate, quorum illa bonos, hæc etiam male  
 feriatos ad ejus observantiam cogit. At qui inter bruta nec  
 æquum, bonum, nec lex & justitia ulla est, dum bruta impetu  
 potius quodam naturæ, quam certâ ratione conjunguntur.  
 Nec mediocritatem in actionibus suis observant, nec æquali-  
 tatem quod proprium est æquitatis. Et Justitiæ habitus bonus  
 est, qualis non esse potest sine ratione. Ut igitur æquitas &  
 justitia naturalis esse nequit sine ratione, ita nec ipsum jus na-  
 3 turale. † II. Quia bruta expertia sunt injuriæ, cum enim  
 damnum dant, non injuriam facere dicuntur, sed pauperiem  
 l. 1. §. 3. si quadr. paup. feciss. dic. §. 2. Inst. eod. at tritum est, con-  
 traria, qualia sunt injuria & jus, ad idem subjectum pertinere  
 4 l. 1. §. 1. de injuriis. † Hinc nec infantuli, nec furiosi & mente  
 capti, cum usu rationis destituantur, firmiter jure naturali  
 obligantur, aut vim damnumvè inferentes propriè in-  
 5 juriam facere dicuntur l. 3. §. 1. de injuriis. † Et nescio an-  
 satisfaciat responsio Alberici Gentil. lib. 3. lect. 1. injuriam dici  
generaliter omne id, quod non jure fit, pr. Inst. l. 1. in pr. de Injur.  
 & sic brutis tribui posse: quomodo cuculus non fovens pullos  
 suos peccet contra jus naturæ: Siquidem dum Imp. d. pr. &  
 Jctus in d. l. 1. eam injuriam, quam ab initio vocant generalem,  
 mox per species suas explicant d. l. 1. ibi: specialiter autem: unde  
 cum posteriores duæ species procul dubio brutis attribui ne-  
 queant, & prima, quæ in L. Aquilia attenditur, quoque ab illis  
 removebitur d. §. 2. Inst. & l. 1. §. 3. si quadr. paup. fec. dic. ultro se-  
 6 quitur injuriæ in genere bruta incapacia censerit. † Nec ma-  
 gis obstat quod perinde videatur injuria æstimari in brutis, ut  
 in hominibus ex provocatione; & contra jure factum dici,  
 pro ratione defensionis seu propulsionis l. 1. §. 11. si quadr. paup.  
 fec. dic. Ubi cum arietes vel boves commisissent, occiso aggres-  
 sore cessare dicitur actio noxalis, non minus, ac justâ defensio-  
 ne, homine vim inferente vel laeso vel perempto, lex Aquilia  
 & Cornelia l. 3. de f. & f. l. 45. §. 4. ad l. Aquil. l. 1. §. 27. de vi & vi  
 arm. Notandum enim actionem illam non competere nisi ubi  
 quadru-



PRIMA.

quadrupes commota feritate *d.l.1. §.4.* aut lasciviâ vel pavore  
*pr. Inst. si quadr paup.* sine alterius culpa instigatione vè *d.l.1. §.*  
*8.* nocuit. Unde in specie oppositi *§.11.* liberatur dominus pro-  
 vocati arietis, qui se defenderat, non quod injuriam sibi illa-  
 tam repulerit, sed quia non nisi ab alio concitatus nocuerit  
*dd. ll.* Unde cum ipse dominus provocantis arietis damnandus  
 veniat, si provocato damnum datum esset *d.l.1. §. 8.* actio ipsi  
 indulgeri non debet si damnum sit passus *arg. l. 22. de Neg. gest.*  
*Timæus Fab. disp. 2. annivers. thes. 2.* † Quæ cum ita sint: longè  
 erassius *Vacon à Vacuna* jus hoc etiam ad inanimata producere  
 aulus est, quando ait, lapidem obligari tendere deorsum, i-  
 gnem sursum *lib. 1. declar. c. 1. num. 9.* quò in effectu tendit  
*M. Lyclama lib. 7. Memb. Ecloga 30.* † His ita præmissis pa-  
 rum obstat definitio Imperatoris supra in limine hujus quæsti-  
 onis opposita. Abutitur enim ibidem vocabulo Juris, dum illud  
 brutis commune esse ait, ut ostendat jus, naturæ ita hominum  
 cordibus impressum esse, ut analogiâ quadam in brutis quoq;  
 animalibus conspiciatur. Unde eleganter ad hoc Plato,  
 Naturam in animâ vegetante sensûs, in sentiente rationis, &  
 in hac divinæ mentis simulacra expressisse docet. † Quo  
 sensu & *Cic. 2. de fin.* bestias specula vocat naturæ, in quibus si-  
 mulacra quædam virtutum humanarum existant. Et August.  
*lib. 11. de Civ. DEI c. 22.* Veruntamen, inquit, inest sensibus irra-  
 tionabilibus animantium, etsi scientia nullo modo, at certè  
 quædam scientiæ similitudo.

QVAESTIO IV.

Quomodo differat jus naturæ à jure  
 Gentium?

† Postquam evicimus jus naturæ proprium esse homi-  
 nis, videndum etiam erit, quomodo differat à Jure Gentium:  
 Differre non videtur ex nostrâ paulò antè traditâ sententiâ.  
 h. quia conveniunt hoc modo definitione. Jus enim gentium,

nihil



EXERCITATIO

8  
 nihil aliud est quam quod naturalis ratio inter omnes homi-  
 nes constituit, quæ ipsa definitio etiam est juris Naturæ. †  
 2 II. quia in multis locis confunduntur in §. II. ibi: *quarundam*  
*rerum dominium nanciscimur jure naturali, quod (sicut diximus)*  
*appellatur jus gentium Instit. d. R. D. l. 1. ibi: jure gentium quod ra-*  
*tione naturali inter omnes homines peraque servatur, & paulò*  
*post, jus gentium cum ipso genere humano proditum est. De Acquir.*  
*Rer. dom.* Unde is naturâ debere intelligitur, quem jure gen-  
 3 tium dare oportet l. 84. §. *is natura de R. 7.* † Verum quod  
 adhuc magna sit differentia, probamus ex diversitate subjecti  
 cui utrumque jus inhæret. Homo enim in materiâ practicâ  
 dupliciter considerari potest, absolutè seu in sese, & respectivè  
 seu in certâ societate. Hominem in se consideratum, conside-  
 rat Ethica, quatenus in sese primùm est rectè informandus &  
 temperatâ rectæ rationis & affectuum naturâ certis mediis  
 ad beatitudinem suam perducendus. Medium autem illud  
 potissimùm est recta ratio, cujus effectus est jus naturale, quod  
 hominem in sese respicit, eumque ut postea in societate, ad  
 quam naturâ fertur, rectè vivat, preparat. Naturale igitur  
 vocatur hoc jus quod hominem natura in sese respicit, eumq;  
 4 perficit. † Sed quia homo est naturâ animal politicum  
 & proinde fertur ad aliquam societatem, igitur ulterius etiam  
 considerari potest, ut in certâ societate perficiendus, & per  
 5 certa media ad beatitudinem suam dirigendus. † Medium  
 hoc nihil aliud est, quàm jus gentium, quod ita vocatur, non  
 saltem quatenus complectitur omnes Resp. conjunctim con-  
 sideratas, verum etiam, ut Fr. Connan. explicat *lib. 1. comm. c. 5.*  
*num. 2.* quod eo utantur omnes homines, qui in gentem ali-  
 quam societatemque sunt congregati, dictum quasi genus es-  
 set. Unde & gentis nomen in una familiâ. Unde Jus gentium  
 erit, quo homines non tanquam homines, sed tanquam in gen-  
 6 tis seu societatis formam aliquam conjuncti utuntur. † Ex  
 quo simul patet malè per Gentem Dd. communiter intellige-  
 re tantùm societatem politicam; cum non protinus ab uno  
 homine



homine orta fuerit Resp. sed ex homine domus seu familia, ex familiis demum civitas seu Respubl. Ergo, uti vera est societas domestica, ita etiam suum habebit jus, cujus vigore & constitutatur & ad finem suum perducatur, de quo quaest. sequent. † Conveniunt igitur Jus Naturæ & Gentium in causâ efficiente, quia utrumque ratio naturalis constituit, sed in modo constituendi differunt, quia illud immediatè est & fluit ex naturali ratione & homini quasi connascitur, unde & dicitur à Philosophis continere, principia nobiscum nata; hoc mediatè, per societatem seu hominum multiplicatorum certam congregationem. † Differunt sine, quia illud beatitudinem hominis privatam & absolutam; hoc publicam & respectivam considerat. † Unde simul respondetur ad argumenta prius pro contrariâ sententiâ producta, quomodo definitio Juris gentium ab Imp. tradita juri quoque naturæ competat. † Ad posterius: ideò & quæ Juris naturæ sunt: attribui passim à JC. juri gentium, quod illud per hoc ita probatum fuerit, atque si à gentibus ipsis esset constitutum, & propter vim coactivam, quæ à Jure gentium Juri naturæ, quod non nisi solo vinculo honestatis stringit l. 95. §. 4. de solut. j. pr. Inst. de fideicom. hered. addita est. Vide Dn. Riem. Decad. 1. q. 4.

### QVAESTIO V.

*Rectenè dividatur Jus gentium in primarium & secundarium & quid utrumq; sit?*

† Distinctio hæc primò probari potest ex communi Dd. sententiâ, quâ Jus Gentium primævum vocant, quod immediatè cum homine prodiit, secundarium quod mediante necessitate & usu constitutum est, probatur, quia primævum simplicissimum est, hominibus quasi connatum, quod etiam

B

solum



solum super esset, nisi malitiis hominum & necessitati com-  
 muni certis mediis naturali ratiocinatione exprimendis fuis-  
 2 set occurrendum. † Unde videmus revera hæc duo non  
 esse unum, sed aliud ab alio longè diversum; illud enim simpli-  
 citer à naturâ est & propius ad jus naturæ accedit, vel cum  
 ipso etiam confunditur passim in jure, de quo vid. Anton. Fabr.  
 in *Jurispr. Papin. tit. 2. pr. 4.* Hoc remotius abest & tacito con-  
 3 sensui gentium potius ascribitur. † Illud & à naturâ est &  
 secundum naturam constitutum, hoc est naturali quidem ra-  
 tione, in multis tamen contra jus illud primævum introdu-  
 ctum est, & per quod primævum in pluribus restringitur, quod  
 4 in servitutibus & similibus patet. † Unde, si non esset rea-  
 lis hæc distinctio, stante paulò antè traditâ consideratione, se-  
 queretur unum idemque jus gentium & se ponere & mutuo  
 5 destruere limitareque. † Sic, quod observavit etiam Timæus  
 Fab. *disp. annivers. 2. th. 3.* servus alibi naturaliter obligari di-  
 citur *l. 13. & optime l. 64. de condi& indeb. l. 14. de O. & A. l. 21. §. 2.*  
*de fidejuss.* etiam domino *d. l. 64. l. 56. §. 1. ff. & §. 1. Inst. de fidejuss.*  
 alibi prorsus negatur *l. 22. de R. J. §. 6. Instit. de inutilib. stipulat. j.*  
*l. 4. de stat. hom. §. 2. Instit. de Jure Person.* Quomodo hoc conci-  
 liabis? nisi adhibitâ hac distinctione, quia servus de Jure primæ-  
 vo nullus *l. 32. de R. J.* secundo verò demum exceperunt servi-  
 tutes, quo ipso & servi arbitrio Dominorum subjecti & omni-  
 6 um obligationum incapaces redditi fuerunt. † Nec si cum  
 communi sentias opinione, supra dictas leges, quibus servus  
 obligari dicitur, de Jure naturæ accipere poteris, de quò tamen  
 postmodò videbimus, quia sive illud intelligas commune cum  
 brutis, quod ita describit Imp. *in pr. Inst. de J. N. G. & C. & bru-*  
 ta obligari absurdum hoc sequitur, seu de hominis proprio,  
 communis opinio (etiam eorum, qui unitatem Juris gent. pro-  
 pugnant) quæ ex jure gentium secundo demum obligationes  
 7 derivat, hoc tanquam incòveniens explodet irridebitq; † Nec  
 obstat quo solo movetur. Ant. Fabr. *d. tit. 2. pr. 3. illat. 8. confutat. 1.*  
 quod ratio naturalis sit immutabilis. Unde fieri non possit, ut,  
 quod



quod ab initio naturale seu gentium non fuerit, evadat postea, quasi in naturale. † Etenim ipsa ratio in se quidem est im- 8 mutabilis, sed tamen, quia ipsa objecta, quibus applicanda, alterantur, consequenter, nec illa semper eadem præcipere potest. Nec illud quod secundarium jus statuit, ita dicitur naturale, ut illud quod primo jure fuit præceptum, ut paulò antè fuit annotatum. Hæc ita pro communi opinione. † Clarius 9 autem longè & fortiùs veritas hujus distinctionis ex nostrâ opinione asseritur: Ex quâ jus gentium primævum dicimus, quod est in societate primævâ seu domesticâ, secundarium vero, quod est in civili seu politicâ. Ut igitur reverâ differt domus, seu familia à civitate; Oeconomica à politicâ; Ita etiam, jus primævum à secundariò. † Quæ cum ita sint, patet erra- 10 re communiter Dd. non quidem in tradendâ distinctione Juris gentium, sed in eadem explicandâ. † Primum enim utique 11 fuit unus homo, ex uno homine orta est familia: Ex familiis civitas. Quando igitur Jus gentium, sicut aliud omne, est accidens, certè ante suum subjectum esse non potuit. Si igitur gens immediatè non prodiit cum homine à naturâ, nec jus gentium primævum dici poterit, quod immediatè cum genere humano absque ullâ ratiocinatione exortum sit, uti in initio hujus quæstionis, hoc ex communi sententiâ retulimus. † Quemadmodum verò ex homine cœpit societas sive gens, 12 ita jus gentium primævum est, quod immediatè prodiit ex jure naturæ, societatem domesticam respiciens. Et ut ex societate domesticâ orta est civilis seu politica, ita eadem quoque mediante ex jure naturæ profectum est jus gentium secundarium seu politicum. † Et si adeò jus gentium tantum referen- 13 dum est ad Respubl. abstractivè consideratas, quod suprâ refutavimus, ad quam speciem Juris tandem referemus domesticam administrandi rationem? quæ suo jure, per quod commodè expediatur, destitui non potest. Quod ipsum tamen jus civile adeò non curavit, ut peculiariter de eò doceret, cum præsertim vel nunquam vel rarò, inter patrem & filium,



- propter personæ fictionem jure nostro tantopere repetitam &  
 14 inculcatam, actus negotiumque subsistere possit. † Jus au-  
 tem hoc gentium secundarium etiam rectè vocatur civile ge-  
 nerale, quod deinceps in plures species dispekitur, quatenus  
 & ipsa civitas seu Respubl. dividitur individualiter in Roma-  
 nam, Græcam, Polonicam, &c. *arg. §. 2. Instit. de J. N. G. & C.*  
 15 † Unde simul patet Jus civile in individuo sumtum non esse  
 conspiciem juris gentium, sicut multo minus in genere consi-  
 deratum, cum eo ipso dum Jus gentium ponitur, simul, tan-  
 quam species sub eo comprehensa, intelligatur, quatenus  
 posito genere etiam omnes species simul poni necesse est.  
 16 † Tametsi verò interdum videatur distinctum à Jure gentium  
 poni, eidemque opponi Jus Civile Romanum ut in *l. 5. §. 1. de J.*  
*& J. §. 2. ibi: ex hoc jure Instit. de J. N. G. & C. l. 1. de A. R. D. §. 11.*  
*Instit. de R. D. & similibus*, oppositio tamen illa non fit juri gen-  
 tium quâ tali, sed per illud juri potius communi, ut sit sensus *d.*  
*l. 5. (& similia)* omnes contractus esse vel juris communis  
 vel proprii, ita enim jus Romanum & aliud unumquodque re-  
 ctè considerari & potest & debet *arg. l. 9. de J. & J. §. 1. Instit. de*  
*J. N. G. & C. vid. Dn. Riem. d. decad. 1. q. 8.* quippe hoc non est no-  
 vum in jure, ut illud quod Juris gent. est, naturæ Juri, & contra  
 asseribatur, vel quod perinde est jus naturale per gentium jus  
 & contra exprimat *arg. d. §. 11. Instit. de R. D. §. 41. eod. l. bona fi-*  
*des 31. deposit. l. 1. de A. R. D. & similibus.*

## QVAESTIO VI.

### *Ex quò Jure sit distinctio domi- niorum?*

- † Tralatitium est apud humaniores quosq; scriptores:  
 jure naturæ omnia esse communia, ob idque Poëtæ præsertim  
 tempus illud alibi ætate aureâ, alibi Saturni aut justitiæ regno  
 quo nec litigia ulla, quæ scelerum causam, nec defectus, quæ  
 inopia



inopiæ speciem præberet, depingant confingantque

————— *Promiscua rura per agros*

*Præstiterant cunctis communia cuncta vi-  
deri.*

† Verum utut hæc opinio non simpliciter rejicienda, ita è con-  
trario indistinctè non admittendum: quando ex hoc, quasi  
principio distinctionem dominiorum juri demum gentium,  
& quidem secundo asscribunt & naturali planè ignora-  
tam asserunt. † Cum enim natura non præceperit ut res  
sint communes (quo sensu rectè à Scholasticis Dd. communio  
rerum, libertas & similia dicuntur de Jure Naturæ negativè seu  
permissivè esse) durante etiam illo statu ejusdem juris erat, ut  
nemo ab usu necessariò rerum communium prohiberetur, quæ  
vel simpliciter in abusu consistebat, quales sunt cibus & potus  
& cæteræ res fungibiles, quæ indistinctè proprietate qua-  
dam ab usu sejunctâ utentis factæ sunt, vel secundum quid,  
quatenus occupatæ vel aliis commodè usui non esse, ut res mo-  
biles, puta vestes & alia tegumenta, vel esse quidem, sed propter  
necessariam rei familiaris conservationem sine hujus interitu  
aliis communes esse non potuerunt, puta arva, arbuta, pascuas  
† Inde initium per applicationem corporalem naturâ mon-  
strante proprietatis lex ad immobiles quoque res occupatas  
traducta est *vid. solidissime auctorem tract. de mari libero pro Ba-  
tavis cap. 4.* † Unde patet communionem illam ad modum  
fuisse impropriam & longè ab eâ, quæ hodieque nonnunquam  
usurpatur, diversam. Per illam hoc denotatur, quod naturâ &  
ab initio omnia fuerint vacua, quæ occupanti cederent; per  
hanc proprietatis rerum minimè vacantium inter plures con-  
sortio quodam vel consensu collata est exclusis aliis. † Inde  
occupatio modus acquirendi rerum dominia primus & anti-  
quissimus, & ad res, quæ in medio positæ nullius erant, accom-  
modatissimus, quem si ad jus demum gentium, & quidem, ut

B 3

vult



## EXERCITATIO

14  
 vult Gohusius *pericul.* Acad. 1. *quæst.* 9. p. 28. secundarium re-  
 stringas, nec Adamum, nec ejus filios, nec ante gentem exor-  
 tam in societate domesticâ, quicquam proprium fuisse hinc in-  
 convenientissimè consequens esset. Ut ita non immeritò, na-  
 turali ratione dominium rerum occupatarum occupanti ad-  
 jici relatum sit in §. 12. *J. d. R. D. l. 3. de acquir. R. D.* quod Primum  
 7 esto pro nostrâ sententiâ argumentum. † II. Cujuscunque  
 juris est possessio, ejus etiam dominiorum distinctio: Atqui  
 illa sine omni dubio, non demum coepit Jure gentium secun-  
 dario, sed & primævo, imò Jure naturæ, argumento est *l. 1. §. 1. de acquir. vel amitt. poss. E.* Propositio major expressa est in *d. l. 1. §. 1.* ubi dicitur, dominium rerum ex naturali possessione  
 coepisse, ejusque vestigium manere de his, quæ terrâ, mari cœ-  
 loque capiuntur; nam hæc protinus eorum fieri, qui PRIMARI  
 possessionem apprehenderint. III. Ab obligatione ad do-  
 minium probabilis est illatio, ad quod obligatio tendit conse-  
 quenter & mediatè vinculo contractus *arg. l. 25. §. 1. de act. emt. l. 75. §. fin. de V. O.* Atqui illa etiam est ex Jure gentium primæ-  
 vo & naturæ, uti quæst. præced. probavimus. E. etiam domi-  
 8 niorum distinctio ad illud jus est referendum. † Unde re-  
 ctissimè asseritur furtum lege naturali prohibitum esse admit-  
 tere *l. 1. §. fin. de furt. naturâ turpe l. 42. de V. S.* Omne autem  
 furtum dominium aliquod præsupponit §. 8. *Instit. de Obl. quæ ex delict.* cum rei nullius, furtum nullum committatur *l. 1. §. 15.*  
 9 *si is qui testam. liber est. jus. l. fin. Expilat. hered.* † Nec possis  
 hoc ad jus secundarium restringere, vel quia & decalogo pro-  
 hibetur furtum, qui tamen non cum jure gentium secundario,  
 sed primævo, imò ipso jure naturæ coincidit *ad Rom. c. 2. v. 18.*  
 vel quia prohibitio seu turpitudine furti, ex eodem, quo adulte-  
 rii, æstimatur fonte *d. l. 42. de V. S.* Conjunctio autem illa est  
 juris naturæ. E. & distinctio dominiorum. Ut enim adulte-  
 rium est contra illam conjunctionem, ita furtum turpe est con-  
 10 tra hanc distinctionem. † His non obstat, quod passim oc-  
 cupatio dicitur modus acquirendi de Jure gentium *l. 1. de*

A.R.D.



A. R. D. §. II. *Instit. de R. D. & in specie dominiorum distinctio l. 5. de j. & j.* vel ideò non sequitur, quod saltem secundarium intelligitur, sed eo ipso dum in genere Juris gentium dicitur, etiam primævi, vel quia non rarum est, ut quando modi, acquirendi juris civilis, opponuntur modis juris gent. per hoc intelligatur jus commune, vide quæst. præced. vel quia illud, quod jure naturæ erat inchoatum: jure gentium immediatè & approbatum & in melius reformatum fuit. Confer rationem primam hujus quæstionis, & *Dn. Riem. tract. I. de contr. c. 3. §. 17. num. 9. & remissivè Dn. Uvegner. disp. 2. ordinar. th. 3. lit. H.*

## QVÆSTIO VII.

### *An Jus Civile sit ex hominum opinione?*

† Duplex est jus civile, aliud commune, aliud proprium §. I. *Instit. d. j. N. G. & C. l. 9. de j. & j.* Illud, quia non est inventum alicujus certi populi, sed ex ratione, humano generi communi & universali, ortum §. II. *j. de j. N. G.* opinioni certorum hominum ascribi nequit. Hoc verò uti est inventum proprium alicujus Reipubl. ita non tam ex communi ratione, quàm arbitrio & opinione constituentium profectum videtur. † Quò sine dubio respexit Aristoteles, quando jus omne, quod in civitate est dividit in naturale & positivum seu legitimum *lib. 5. Eth. Nicom. 6. & 7.* † Etsi enim & hîc quædam subsit ratio, quia tamen circa individua versatur certa semper esse, aut jus inde constitutum naturali ratione constare non potest. † Et quemadmodum jus gentium non nisi ex hypothesis societatis alicujus aut humanæ etiam indigentia ortum est, respectu juris naturæ, ex gentium instituto esse videtur, ita multò magis jus civile proprium, legislatoris arbitrio propter summam singularium factorum incertitudinem ascribendum erit. † Facit I. quod hoc jus versetur potissimum



mum circa actus de se indifferentes, h. e. neque bonos simpli-  
 citer, neque malos, qui tamen, si inutiles, ad aliquod commune  
 bonum prohibitione mali, si utiles, præcepto boni & honesti  
 efficiuntur. † Cum igitur malitia & bonitas istorum a-  
ctuum ex mero placito legislatoris æstimentur, non mirum si  
dehinc jus ipsum ex ejus opinione descendere dicatur, vide  
quoq; Franc. Suarez. lib. 7. de legib. & legislat. c. 12. num. 18. & 19.  
 7 † II. Imò potest actus etiam per se honestè fieri, & tamen ni-  
 hilominus prohiberi per legislatorem & fieri malus ratione  
 prohibitionis, qui aliàs de se erat bonus v. c. Donatio liberalis  
 de se bona est, justà tamen de causâ prohiberi potest, ut dona-  
 tio inter virum & uxorem t. t. ff. & C. de donat. inter vir. & uxor.  
 inter patrem & filium l. placet 79. de acquir. vel omitt. hered. l. 11.  
 C. de donation. l. 21. C. de donat. inter vir. & ux. quâ prohibitione  
 stante illicita & mala est, ut neque eodem jure juramento con-  
 8 firmari possit l. 5. C. de ll. † Malitia tamen totalis est ex opi-  
 nione legislatoris, unde eâ non obstante, si donationi hujus-  
 modi juramentum accesserit, nihilominus cõvalidatur ex Jure  
 Canonico c. cum contingat 10. de jurejurand. & c. quamvis de  
 pact. in 6. Covarruv. in d. c. quamvis p. 2. §. 1. num. 13. Roland. à Valle  
 9 vol. 1. consil. 19. num. 13. Gail. 2. Obs. 40. per tot. † Unde patet  
 diversitas inter jus commune naturæ & gentium & civile in  
 specie: ad quod eleganter Molina tr. 1. de 7. & 7. disp. 4. Juris  
 naturæ, ait, obligatio oritur à naturâ objecti & sese diffundit  
 in præceptum, Juris civilis, à præcepto orta derivatur postmo-  
 10 dò in objectum. † Quocirca non mirum si omnium legum  
 exacta ratio reddi non possit l. non omnium 20. d. ll. 2. F. 26. §. filii  
 aut dari quidem, sed durior non nunquam l. 12. §. 1. qui & à quib.  
 11 manumiss. † Quod si ita olim sensit Epicurus, ejus opinio  
 citra absurditatem & retineri & defendi potest.

### QVAESTIO VIII.

#### An Princeps sit solutus legibus?

† Gravis est hæc quæstio, & multis retrò seculorum  
 decur-



Securibus agitata & innumerâ opinionum varietate disceptata. † Alii enim principem, ut Græci, poenariis legibus tantum solutum esse: alii, ut *Cujacius* 15. *Obs.* 30. caducariis: alii, ut *Coras.* 2. *miscell.* 25. *Vasq.* 1. *controv.* 26. *num.* 15. *Donell.* 1. *comm.* 17. solemnibus legis: alii videri legibus solutum, non esse principem, ut *Gothofred.* ad *Nov.* 15. alii aliter sentiunt, quos more suo prolixè adduxit *Hunn.* in *tract.* de *Jur. auct.* & *strictim refutat.* *Bachov.* ad *vol.* 1. *Trentler.* *disp.* 1. *thes.* 6. *lit.* D. † Est adhuc 3 alia opinio, quam sequitur *Fachin.* 1. *contr.* 2. & *Dd. commun.* quæ distinguit inter vim legum coactivam & directivam, quâ tantum, non illâ, principem obligatum esse contendunt. † Verum de posteriori modo nulla dubitatio esse potest, quin 4 Princeps unusquisque eò suas actiones dirigere debeat, ut inde bonum publicum promoveatur, subditique exemplo ejus ad justè agendum incitentur. Nam

### Componitur orbis

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quam vita regētis.*

† Quæstio igitur omnis de obligatione quadam vis co- 5 active intelligenda est, num videlicet Princeps legibus vivere obstringatur, seu, quod idem est, num eidem etiam sint lata? † Hujus verò quæstionis decisio ex illo videtur pendere prin- 6 cipio: An & quatenus suprema potestas à subditis in principem sit translata, an absolutè & simpliciter, an verò sub aliqua conditione. De quo prius, cum nostræ quæstionis quoddam sit præjudicium, differendum erit. † Ex veriori autem Po- 7 liticorum sententiâ mihi certum est, subditos originaliter priores esse magistratu, & hunc propter illos unice constitutum fuisse: ideò verisimile quoq; est, eosdem principem seu quemvis magistratum, tanquam caput societatis civilis ad suam utilitatem elegisse, eique ob id potestatem sufficientem in sese concessisse. † Quoniam verò unusquisq; ante societatem 8

C hanc



hanc civilem DEO obstringebatur ex jure naturæ, consequens  
 fuit obligationem hanc, propter societatis civilis, inque eâ  
 principis alicujus constitutionem, minimè sublatam, sed so-  
 lum alteratam fuisse: quatenus nova hæc vivendi ratio alia  
 9 media efflagitavit. † Nova igitur illa societas conjunctim  
 considerata Deo obligari cœpit, quasi per solemnem quandam  
 stipulationem; caput quidem, ut totam gubernationem ad  
 gloriam DEI dirigeret, membra verò, ut humanæ auctoritati,  
 non posthabito DEI cultu & studio honestatis, obsequeren-  
 10 tur. † Uterq; & populus & Princeps, cum eundem finem,  
 gloriam scilicet DEI, respiciat: una eademque etiam exinde  
 videtur oriri obligatio, licet per mediâ, uti dictum; diversa ex-  
 11 pedienda. † Quia verò populus, constituens sibi magistra-  
 rum, non solum gloriam DEI remotè intuetur, sed propinquè  
 etiam suam utilitatem, & ut tanto diuturnior existat, pacificè  
 & tranquillè gubernatus respiciat & intendat: Principi etiam  
 eatenus in se potestatem concedere videtur, quatenus illam,  
 12 ob salutem & utilitatem publicam est exerciturus. † Alio-  
 quin enim, si potestatem summam arbitrio & mero Regentis  
 placito committeret, perniciem potius suam & internecio-  
 13 nem, quam diuturnitatem causaretur. † Quo ipso patet  
 Principem simpliciter ex hac constitutione obligari ad con-  
 servationem societatis, populum sub conditione Principi, quâ  
 illa omnia, de quibus diximus, observata fuerint, sese subdicere.  
 14 † Unde cum paulò antè dicta omnia in cujusvè Reipubl. fun-  
 datione tacitè agitentur, inde etiam tales obligationes, inter  
 principem & subditos ultrò consurgunt, quæ si expressè pro-  
 mulgentur, vocantur Jura Regni, seu leges fundamentales, qua-  
 rum aliæ respiciunt religionem, aliæ Reip. ipsius conservatio-  
 15 nem. † Ut igitur ad quæstionem nostram, his ita præmis-  
 sis, propiùs accedamus, ante omnia distinguendum, inter leges  
 Reipubl. fundamentales, seu tacitas seu expressas, & eas, quæ  
 propriè concernunt ipsius Reipubl. administrationem. Illis  
 Princeps indistinctè tanquam, ut dixi, ex contractu obligatus  
 est.



est, adeò, ut si contra eas faciat eo ipso se ipsum destruat, & ob-  
ligatione subditos, quam sub conditione inierant, solvat.  
 † Hinc cum non amplius sit Princeps, non subditi, in casu per- 16  
 severantiæ non modo licitè ipsi resistitur, verùm justè quoque  
 abdicatur, quod etiam fides historica pluribus abundè exem-  
 plis fecit contestatum. † Quantum verò ad leges admini- 17  
strationis attinet, illæ iterum vel sunt propriè civiles, vel com-  
munis, n. e. ex jure vel naturæ vel gentium in civitatem assum-  
ptæ. Illis indistinctè Princeps solutus esse videtur, vel quia in-  
manu ejus administratoriæ sunt positæ ab eaque latæ, vel quia  
actus illarum de se indifferentes reputantur, secundum quæst,  
 præced. † Et sanè cum & hac consideratione Princeps in- 18  
 Republ. supremus sit, si legibus merè civilibus ipsum subjicere-  
 mus: eo ipso omnibus superiorem esse negaremus, quod, quia  
 cum ipsâ Principis conditione pugnat, quem status sui condi-  
 tio suprâ vulgarem extollit sortem, solutum eum legibus illis  
 esse hisce planè consequens futurum est. † Ratione legum 19  
 quas diximus communium, solutio ista tam simpliciter statu-  
 enda non est: quandoquidem enim eæ vel cum humano gene-  
 re prodierunt, vel communi gentium ratione sancitæ sunt,  
 principis potestas quoque, quæ saltem civilis est, ad eas confi-  
 derari non potest. † Etsi enim difficile sit, Principem ad il- 20  
 larum observationem cogi, neq; per se ipsum, penes quem est  
 summa majestas *arg. l. 13. §. 4. ad SC. Trebell.* neque per alios, qui  
 eâ destituuntur, & quod salvâ majestate Principis fieri nequit:  
 ut dehinc rectè Justinianus, quis tantæ, inquit, majestatis est,  
ut nolentem principem possit coarctare *Nov. 23. c. 2.* quia ta-  
 men promiscua earum violatio læsionem Reipub. & certissi-  
 mum exitium secum trahit, parum aberit, quin & hoc ipso in-  
 Tyrannum desinat & subditi obligatione suprâ positâ soluti,  
 imperiumque impotens exosi, impunè resistant. † Nota 21  
 tamen, ut longè differunt virtus privata & principis c. si Eccle-  
sia 23. q. 4. in fin. quarum illam communem exercet cum reli-  
quis, hanc ex fine illius propter quem regnum ipsi delatum est,



- astinamus, quæ in probâ Reipub. gubernatione consistit: ita ex contrario vitia & delicta, quoque benè sunt separanda.
- 22 † Unde non protinus Tyrannum rectè dixeris, qui vel scor-  
tando, vel intemperanter vivendo, aut aliàs ex imbecillitate  
naturæ jura hæc violat, nec etiam ideò eundem poenæ præsti-  
tutæ affectata temerè potestate subjeceris, scitè Arnif. lib. 2. re-  
23 lect. polit. c. 3. sect. 6. n. 41. & seqq. † At si dolo malo & ex pro-  
æresi easdem leges violare ludum jocumque ducat, publi-  
camque administrationem ex arbitrio suo in privatum com-  
modum voluptatemque vertat, quia nihil inde sperandum est  
aliud, quam præsentanea Reip. everfio, & omnium rerum foe-  
da confusio, vix est ut principem hisce legibus solutum facia-  
24 mus. † Hæc ita, ubi ordinario modo princeps constituitur. Min-  
obligatio principis est, ubi jure belli majestas acquiritur, quod  
quidem si justum fuerit, in poenam flagitiosissimum Tyranni  
jugum ferant, necesse est, devicti: Si injustum, uti ex probabili  
fortè ambitionis titulo regnum acquisitum est, ita ex non mi-  
nùs favorabili causa, libertas poterit in integrum restitui. Sed  
de his plus satis.

### QVAESTIO IX.

#### *An consuetudo possit legem abrogare?*

- 1 † Pro Affirmativâ facit I. quod ejus sit legem tollere,  
cujus condere. Populus igitur cum possit legem ferre, quod  
2 manifestum, cur etiam non abrogare. † Abrogatio autem  
illa dupliciter fit, vel expresso consensu, vel tacito. Expresso,  
quando expressa voluntate priorem legem antiquat & novam  
constituit promulgatque. Quin hoc possit populus nemo du-  
3 bitat vid. l. 32. d. ll. † Quandoquidem verò nihil interest,  
suffragio sive consensu expresso populus suam sententiam de-  
claret, an rebus ipsis & factis, h. e. tacito consensu, quis non  
videt, eo ipso dum populo damus licentiam expressè legem  
abrogandi, tacitè quoque id ipsum faciendi denegari minimè  
posse d. l. 32. Hinc consuetudo dicitur legem imitari §. 9. Instit.  
de J



de J. N. G. & C. pro lege custodiri, legem abrogare d. l. 32.  
 † Huic legi gravissimè obstat l. 2. C. quæ sit long. consuet. ubi dicitur, consuetudinis non vilem esse auctoritatem, sed non adeò sui valituram momento, ut legem vel rationem vincat.  
 † Connan. 1. comm. 10. num. 9. & post eum Ant. Fab. ad l. 32. de 5  
 ll. distinguunt inter consuetudinem & desuetudinem contrariam, non illam, sed hanc legem abrogare, de quâ videtur loqui d. l. 32. §. 1. † Verùm conciliatio hæc difficultatem minimè 6  
 tollit. Desuetudo enim nisi sit contrarii Juris usurpatio, vix sufficiens erit ad leges publicâ auctoritate sancitas, abolendas, sed ad id improbatione populi opus est, quæ non nisi facto vel expresso vel tacito declaratur d. l. 32. §. 1. *ibi: nihil interesse de ll.* Quocirca etsi ibidem in fine mentio fiat desuetudinis, tamen ex superioribus, uti contrariæ consuetudini implicata, intelligenda est vid. Hillig. lib. 1. Donell. enucleat. c. 10. lit. K. † Altera 7  
 conciliatio est, quod dicta lex 32. quæ est Juliani respiciat statum liberum seu popularem. Lex secunda c. quæ sit longa consuetud. cujus auctor est Constantinus, statum Monarchicum, ubi vel nulla, vel exigua populi auctoritas. † Et tamen si Julianus non vixerit sub statu populari, sed tempore Adriani Imperat. Valentin. Först. lib. 2. hist. jur. c. 73. tamen non absurdum est, si ad priorem statum respiciendo, ita scripserit, cum & Justinianus manifestam populi in lege condendâ faciat mentionem §. 4. Instit. de J. N. G. & C. cujus tamen temporibus, nihil magis, quam Constantini, potestatis exercebat: ita ferè Duar. ad l. 9. d. ll. quem sequitur Bachov. ad disp. 1. th. 9. lit. B. volum. 1.  
 † Tertia nec inconcinna est Gregorii Lopetii 1. animadvers. §. 9 num. 8. sententia. Consuetudo, inquit, non vincit legem d. l. 2. c. quæ sit long. consuet. nec lex consuetudinem 2. F. 1. in pr. ut altera fortior sit altera in obligando, quia & consuetudo lex est, etiam si tacita, quæ legem imitatur in omnibus & in abroganda & in interpretanda lege priori: Unde in d. l. 32. §. 1. d. ll. dicitur nihil interesse, & in l. 35. eod. consuetudo dicitur non minus servari quam lex, Cum igitur par utriusque virtus & natura, uti



una lex expressa posteriori alia abrogatur, ita & consuetudine, non quia consuetudo fortior sit, aut obligando vincat legem, 10 sed quia posterior. † Sic nec lex posterior expressa, ideò priorem abrogat, quia fortior, eo enim modo omnes ligat, ut prior antea, sed quia posterior: quatenus ita jure receptum, ut lex anterior semper cedat posteriori, tanquam magis ad speciem & mores Reip. accommodata. Confer. Tim. Fabr. disp. an- 11 nivers. 2. th 2. Marc. Lyclam. 1. membr. 11. † Obstat præterea; consuetudo non valet, nisi sit rationalis c. ult. Ext. de consuet. Consuetudo contra legem non est rationalis, quia eo ipso, quo est contra legem, est contra rationem, quippe, quæ est rationalis, vide hoc argumentum introducentem Fr. Suarez. 12 lib. 7. de ll. c. 18. num. 25. † Resp. legem civilem dici & esse rationabilem, non tanquam necessariam, sed tanquam convenientem Reipubl. propter aliquos respectus, quibus non obstantibus abrogatio legis & consuetudo ad illam tollendam potest esse rationalis, sub aliis respectibus magis honestis & Reipub. convenientibus. Quapropter licet actus illi omnes ante completum tempus mali videantur, utpote contra legem nondum abrogatam, nihilominus tamen completo tempore & abrogatâ lege, justî esse non immeritò reputantur.

### QVAESTIO X.

#### An & quomodo Jus Natura sit immutabile?

- 1 † Differt præter cætera Jus naturale à civili, quod hoc pro varietate Rerump. & aliarum circumstantiarum subindè soleat alterari, illud, quia est veluti proprietas consequens non rationem privati alicujus, sed omnium hominum naturam, mutationem omnem aspernatur. §. II. Instit. de J. N. G. & C.
- 2 † Quandoquidem verò in multis videtur corrigi mutarique, pro accurratiori ejus rei notitiâ notanda sunt, quæ aliàs à Dd. non ita vel distinguuntur vel explicantur. † I, Ea, quæ sunt in qua;




In quadam relatione dupliciter posse videri mutari, vel intrinsecè per mutationem sui, ut pater desinit esse pater, si moriatur; vel extrinsecè per mutationem alterius, quando pater desinit esse pater, per mortem filii, quæ desinitio non est mutatio, sed ita à nobis concipitur. In lege Civili locum habet prior mutatio, in lege naturali posterior, quæ per mutationem materiæ contingit, ut actio subtrahatur ab obligatione legis naturalis Fr. Suarez. *lib. 2. de legib. & legislat. c. 13. num. 7.* Exemplum est in libertatis amissione & depositi redditione *in l. 31. deposit.*

† II. Jus naturæ interdum videtur mutari, quando jus civile 4  
non semper eidem adhsitit ad ejusque observantiam homines  
cogit, quod sæpè legislator civilis, vel propter hominum mo-  
res, qui emendari non possunt, vel majoris mali evitandi causâ,  
vel quia delictum directò Remp. non lædit, facere necessum ha-  
bet. Hinc, quia prava cogitatio per se non lædit tràquillitatem  
 publicam, quam tuetur legislator, eandem impunitam sinit  
*l. 18. de pœnis,* ex quo principio de jure civili concubinatus, lu-  
 panaria & similia fuere permisa. † Nec tamen minùs con- 5  
 tra jus naturæ peccare putandus est scortatione se polluens  
 etsi non semper pœnis de jure civili subjiatur. † Sic, & in pa- 6  
 etis non in totum recedit à jure nature, quia denegat repetitio-  
 nem, nec in totum inservit, hoc est, illud approbat, quia dene-  
 gat actionem. In his verò omnibus non tam mutari, quam po-  
 tiùs negligi juris naturalis observatio videtur. † III. Duplex 7  
 est juris naturæ ratio, vel n. justa præcipit & injusta prohibet  
 (quæ Scholastici Philosophi vocant esse positivè juris naturæ)  
 & tum sibi perpetuò constans, nec ullo tempore mutabilis est,  
vel utilitatem vitæ sustinendæ moderatur, bella, dominia, li-  
bertates commercia &c. respiciens (quæ negativè esse juris na-  
turæ vocant) & quia non præcipit, nec prohibet, sed saltem  
permittit, in eâ aliquâ legum est potestas, ita, ut illius usus im-  
pediri & variari possit. Vide accuratè de eo differentem. Sua-  
 rez. *lib. 2. de legib. c. 14. n. 14.* Domin. Soto *lib. 1. de just. &*  
*Jur. q. 4. art. 5.* paulò aliter Marc. Lycl. à Nychold,  
*lib. 7. membr. Eclog. 39. p. 291.*

Jus nat. positivum.

Jus nat. negativum.





## COROLLARIA.

1.

Non plura nec pauciora, quam tria Juris præcepta cum Imperatore in §. 3. Instit. de J. & J. & J. Cto Ulpiano in l. 10. §. 1. eod. statui-  
mus: quæ cum singula specialiter expressa, & à se invicem di-  
stincta sint, non potest unum sub altero contineri.

2.

Insultatum ab aliquo cedere, & fugâ sibi consulere, si commodè ci-  
tra periculum possit, debere, per aliquot Juris fundamenta asse-  
rimus.

3.

Verior nobis videtur eorum opinio, qui dicunt, quod per L. Re-  
giam non tantum νομοθεσίαν, verum reliquam etiam potesta-  
tem sive παρθεσίλειαν Populus Rom. abdicativè in Princi-  
pem transtulerit.

4.

Anne malè quidam occasione l. 5. ff. de J. & J. & §. 2. Instit. de  
J. N. G. & C. contractum Emphiteuticum Juris Civilis statuunt:  
Itemq; Pacta legitima à contractibus excipiant, in discursu vide-  
bimus.

5.

Cum omne Jus ex consensu oriatur, nihil aliud faciunt ij, qui ex Ju-  
ris nostri texibus evincere conantur communem errorem Jus  
facere posse, quam quod communem Dd. errorem foveant,

EXER.



46<sup>4</sup>  
48

ULB Halle  
006 653 529

3



W 17










Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



1a

M. A.

CITA.

M JUSTI.

ARUM

toritate Ma-

Ordinis in Illu-

ana

I D E

Consultissimo

FRANTZKIO

D.

Præstantissimis

legis

proponit

S HOPNERUS

boruß.

solitis

embr.



Æ

WEIDNERI

C, XXII,

